

www.e-rara.ch

Baronatus et armorum insignium melioratio pro Rodulpho de Salis

Salis, Rudolf von

[S.l.], [1582]

Kantonsbibliothek Graubünden

Shelf Mark: KBG Bb 1003 (1)

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-72279>

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

E. 486.10
Pl. 1003

Bb

1003

in Cat. supp. 94. (Dumont)
" " 105 (Visselins)
" " 165. (Galis)

Kantons-Bibliothek
Graubünden — Chur

RODVLPHV SECVNDVS

Diuina fauente clementia electus Romanorum Imperator semper Augustus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclauoniæ Rex, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Brabantæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ &c. Marchio Moraviæ &c. Dux Luxemburgiæ, ac Superioris, & Inferioris Silesiæ, Vvircbergæ, & Teclæ, Princeps Sueviæ, Comes Habsburgi, Tirolis, Ferretis, Kyburgi, & Goritiæ, Landgravius, Altiæ, Marchio Sacri Romani Imperij, Burgoniæ, ac Superioris, & Inferioris Lusantiæ, Dominus Marchiæ, & Sclauoniæ, Portus Naonis, & Salinarum &c. Nobili fideli nobis dilecto Rodulpho Salico de Salis libero Baroni nostro Consiliario Bellico, & vnius legionis Peditum Germanorum Colonello, gratiam nostram Cæsaream, & omne bonum. Cum nihil sit inter mortales sublimius Imperiali Maiestate, & celsitudine, quam Deus Opt. Max. ceteris humanis dignitatibus eminere voluit, ut micantissimis radijs suis terrarum orbem, & commissum Imperium illustret: par equidem est, ut quem Deus ad fastigium hoc euexit, is etiã dignitatem, & munus sibi demandatum itã administret, ut quantum fieri potest in hac vita, quã proximè accedat ad exemplum Diuinæ Maiestatis, à cuius nutu tota huius Mundi machina dependet, nullisq; finibus clementiam, & liberalitatem suam teneat circumscriptam, sed in omnes eam exerceat, illos præcipuè, quos præter antiquam familiæ Nobilitatem, ac præclara maiorum, tam in Remp. Christianam, quã Sacrum Romanum Imperium, Inclitamq; nostram Austriæ Domum merita, propria etiã virtus, & prudentia, integritas, relique tam belli, quã pacis tempore cum laude fortiter gesta, alizq; insignes animi Dotes præceteris claros reddiderunt: omnem in eo operam,

in Col
11

& diligentiam adhibendo, necubi virtutem debitis premiis destituisse videatur. Et si enim illa se ipsa facile sit contenta, neque magnopere indigeat alienae laudis adminiculo, quam alioquin etiam honos, amplitudo, & gloria, uti certissima premia sponte plerumque sequuntur: sit tamen, ut si quando illa summorum Imperatorum, & Regum Iudicio, atque decreto comprobetur, multo Illustrior, & clarius evadat, & alios quoque non tam ad admirationem, quam imitationem, & praeclarum emulationis studium accendat, fruaturque beneficio posteritatis. Quod sane diligenter respexerunt Divi praedecessores nostri Romanorum Imperatores, ac Reges omni cura adhibita ne virtus debitis premiis destitueretur. Nos vero hunc eorum laudatissimum morem secuti in eandem semper curam, & diligentiam incubuimus, ut optimorum virorum de nobis atque Republica benemeritorum, quiq; prisca familia, & generis Nobilitate clari essent, virtus amplissimis à nobis titulis cohonestaretur. Cum igitur compertum habeamus, Te Rodolphum Salicum de Salis ex nobili, & antiquissima in Diocesi Curienti familia Salica natum, maioresque tuos de Sacro Imperio benemeritos esse: praesertim vero Avum tuum paternum Rodolphum eidem multo tempore utilem praestitisse operam, ac cum aliis à Ducibus Mediolani negociis rerum Status tanquam Consiliarium adhibitum fuisse, tum vero Papae Gubernatorem egisse, atque eo tempore, quo non exiguae Helvetiorum, & Grisonum copiae pro eiusdem Ducatus Mediolanensis defensione expeditae fuerunt, eidem Avo tuo Generalis Capitanei munus diversis vicibus demandatum ab ipso vero summa fide, nec minori virtute gestum, administratumque esse illumque tandem sub eorundem Ducum Mediolanensium auspicijs in praelio ad Marignanum cum hoste commisso fortiter occubuisse. Ab hac autem maiorum tuorum Avi in primis, heroica virtute ipsius filium Herculem (ex Maria filia ultimi Comitum de Sacco, eiusdemque Comitum, & Domini Mesocci susceptum) Patrem tuum se haud degenerem praestitisse, sed diversis in expeditionibus bellicis Grisonum Colonnelli munere functum, nihil quod ad strenui militis, & Praefecti officium pertineret praetermisisse. Te vero Rodolphum,

phum, paternis, auitisq; vestigijs, sedulo insistentem, mox à
 prima Iuuentute tua omnibus bellis inter Diuum quondam
 Imperatorem Carolum Quintum Dominum Magnum Pa-
 truum, & Avum Maternum nostrum observandissimum au-
 gustissimæ memoriæ, ac Reges Galliarum gestis interfuisse. De-
 inde in aliquot expeditionibus tam sub Serenissimi Principis
 Domini Philippi Hispaniarum Regis Catholici &c. Avunculi,
 Sororij, & Fratris nostri Carissimi, quàm Ill. Domini Veneti
 auspicijs Colonelli officium non sine honore, & laude tua
 obijisse. Quemadmodum etiam ab eo tempore, ut duoq; Im-
 peratori Maximiliano Dño Genitori nostro Colendissimo
 felicissimæ recordationis tuæ erga Maiestatem Suam fidem,
 & devotionem, nec non de Republica Christiana beneme-
 rendi studium comprobares spontè ad Maiestatis Sux aulam
 accessisti, delatumq; ubi in eo bello, quod Maiestas eius con-
 tra perpetuum nominis, & fidei nostræ Christianæ hostem
 Turcam gessit Generalis Artilleriæ Præfæti munus alacriter
 suscepisti, illiq; ea fide, cura, ac diligentia præfuiti, ut Mai-
 estatis Sux abundè satisfeceris, ita quidè ut Maiest. eius te dignū
 iudicaret, quem ob spectatā virtutem, & fortitudinem auratæ
 Militiæ cingulo, & ornamentis condecoraret, ac Colonellum
 vnius Peditum Germanorum legionis constitueret, quod qui-
 dem Colonelli munus nos non modo continuandum, verū
 etiam ob tuam singularem industriam, rerum experientiam,
 & gravitatem in Consiliariorum nostrorum numerum te iam
 pridem acciscendum duximus. Nunc verò huiusmodi insi-
 gnium tuorum meritorum vberiore etiam, benignioreq;
 rationem habendam esse existimantes præsertim cum nobis ita
 omninò persuasum habeamus te, nec deinceps vllam de no-
 bis, Sacro Imperio, ac Inclita Domo nostra Austriæ bene-
 merendi occasionem esse prætermitturum. Cæsareæ nostræ
 munificentia conuenire iudicauimus, ut te ad eminentiorem,
 dignioremq; gradum, & statum eueheremus. Motu igitur
 proprio, & ex certa nostra scientia, animoq; benè deliberato,
 sano accedente Consilio, ac Cæsareæ nostræ auctoritate, eius-
 demque potestatis plenitudine, Te præfatum Rodolphum
 Salicum de Salis, tuosq; liberos hæredes, & successores, legi-

imo matrimonio natos, & nascituros viriusque sexus, & ex eis
in infinitum descendentes, ac descenduros, eoq; casu, quo sine
liberis masculis legitimis te decedere contingeret, illum ex
eadē familia tua Salica, quem in Testamento tuo nominaveris,
eiusq; liberos, hzredes, & descendentes legitimos in infinitum,
liberos Barones fecimus, creauimus, ereximus, ac tenore
præsentium facimus, creamus, erigimus, & ad liberorum Baronum
Statum, atq; gradum clementer euehimus, & attolli-
mus, ac Baronalis honoris, dignitatisq; titulo per præsentis
gratosè insignimus. Nec non aliorum liberorum Baronum
verè natorum ordini, numero, consortio, cætuq; fauorabiliter
adscribimus, & aggregamus. Decernentes, & hoc nostro
edicto firmissimè statuantes, quod Tu Rodulphe, ac legitimi
liberi hzredes, ac posterii tui viriusque sexus, & memorato
casu is ex familia Salica, quem in Testamento tuo nominaveris,
eiusdemq; liberi, hzredes, & descendentes legitimi liberorum
Baronum nomen, & dignitatem assequi, & obtinere, ac tam
in literis, quàm nuncupatione verbali, nec non in rebus spiri-
tualibus, ac temporalibus Ecclesiasticis, & profanis, & in qui-
buscumque negotijs, & actionibus à nobis, & successoribus
nostris, alijsq; omnibus, & singulis cuiuscumq; status, gradus,
ordinis, dignitatis, & conditionis extiterint pro veris liberis
Baronibus haberi, teneri, dici, nominari, & honorari possitis,
& debeatis, prout nos ipsi vos, eosdemq; legitimos hzredes, ac
posteriores vestros viriusq; sexus liberos Barones nominamus,
& appellamus, proinde ac si à quatuor Auis paternis, & ma-
ternis tales nati essetis. Volentes, & decernentes vltius
eadē auctoritate, & potestate nostra, quod omnibus, & singu-
lis Priuilegijs, Indultis, Immunitatibus, libertatibus, iuribus,
consuetudinibus, honoribus, dignitatibus, prærogatiuis,
exemptionibus, gratijs, & fauoribus, vi, frui, gaudere, &
potiri valeatis vbique locorum, & terrarum quibus cæteri
liberi Barones in Sac. Romano Imperio, Regijsq; & Domi-
nijs nostris hzreditarijs, vi, frui, gaudere, ac potiri solent, &
possunt iure, & consuetudine, omni contradictione, & impe-
dimento postposito. Præterea quod nostram erga te benefi-
cientiam vberius sentias, supradicta auctoritate nostra Cæ-
sarea

7
sarea Gentilitia, & Auita armorum tuorum Insignia alterius
Galeæ additione exornanda, & locupletanda duximus, prout
harum vigore exornamus, & locupletamus. Ita nimirum, ut
tuorum armorum gentilitiorum scuto, eorundem à sinistra
parte incumbat galea, quam tu, maioresq; tui hactenus deferre
soliti estis: Ad dexteram verò nostro beneficio imposita sit
altera galea clathrata tornearia, quam vocant phaleris siue
lacinijs à dextro latere flauis, seu aureis, & nigricolorum re-
dimita, ac aurea Corona Insignis, cui insistant Aquila Nigra
vnius capitis diademate aureo ornati, alis expansis, rostro
adunco, lingua rubea exerta, ac deductis Vnguium falculis
conspicua. Quæ admodum hæc omnia in medio præsentis
diplomatis manu pictoris accuratius elaborata cernuntur.
Volentes, ac decernentes, quod Tu Rodulphe Salice de Salis,
tuiq; liberi hæredes, & descendentes legitimi vtriusq; sexus,
vel memorato casu, is quem tu modo supradicto nominaueris,
eiusq; liberi, hæredes, & descendentes legitimi in omnem
posteritatem huiusmodi arma sic à nobis exornata, & locu-
pletata ex hoc tempore deinceps in perpetuum in omnibus,
& singulis honestis, ac decentibus actibus exercitijs, & expe-
ditionibus tam serio, quàm ioco in hastilibus ludis, seu hastato-
rum dimicationibus pedestribus, vel equestribus, Bellis, duel-
lis, singularibus certaminibus, & quibuscunque pugnis
eminus, cominus in scutis, vexillis, tentorijs, Sepulchris, Si-
gillis, monumentis, annulis, edificijs, suppellectilibus, tam
in rebus spiritualibus, quàm temporalibus, & mixtis in locis om-
nibus prout vobis libitum fuerit, aut necessitas vestra postulaue-
rit, habere, gestare, & deferre, ac simul quibuslibet privilegijs,
immunitatibus, libertatibus, & iuribus uti, frui, & gaudere
possitis, quibus alij quoque armigeri, seu armorum huiusce-
modi, vel insigniam ornamentis decorari vtuntur, fruuntur,
& gaudent iure, vel consuetudine; Quo circa mandamus vni-
uersis, & singulis Archiepiscopis, Episcopis, Ducibus, Mar-
chionibus, Comitibus, Baronibus, Militibus, Nobilibus, Cli-
entibus, Capitaneis, Vice dominis, Præfectis, Castellanis, locū
Tenentibus, Officialibus, & Heroaldis, Caduceatoribus Bur-
gi Magistris, Iudicibus, Consulibus, Ciuibus, & generaliter
omnibus,

in Cas
11

omnibus, & singulis nostris, & Sacri Romani Imperij, Reg-
norumq; & Prouinciarū nostrarū hereditariarum Subditis,
ac fidelibus dilectis cuiuscumq; dignitatis, gradus, ordinis, &
conditionis existant, vt te antedictum Rodolphum Salicum de
Salis liberum Baronem, tuosq; filios, heredes, & posteros
legitimos viriusq; sexus in infinitum ex vobis descendentes, ac
descenduros, vel memorato casu eum, qui à te modo supradicto
ex eadē familia Salica nominatus fuerit, eiusq; filios, heredes,
& posteros legitimos in dicto liberi Baronatus statu, ordine, &
dignitate permanere, ac dictis armis, & Insignijs à nobis sic, vt
præmittitur, exornatis, & locupletatis, nec non omnibus, &
singulis præmemoratis privilegijs, indultis, immunitatibus,
libertatibus, iuribus, consuetudinibus, honoribus, dignitatibus,
prærogatiuis, exemptionibus, gratijs, & fauoribus vobis in
hoc nostro Diplomate concessis, vbi cumq; & quodcumq;
libere, quiete, & absque vllō impedimento vi, frui, gaudere,
& potiri sinant, adeoq; vos in ijs omnibus, & singulis defen-
dant, conseruent, & manteneant, & alios, nè quid in contra-
rium attentent, vel moliantur pro iuribus prohibeant, & impe-
diant, In quantum indignationem nostram grauissimam, &
pœnam centum marcarum auri puri pro dimidia Fisco nostro,
reliqua verò parte tibi sæpè dicto Rodolpho Salico de Salis
libero Baroni, seu filijs, heredibus, & descendantibus tuis, vel
alias modo sæpè dicto Tibi successuris toties quoties contra
hanc nostrā Creationis, concessionis, libertatis, exornationis,
locupletationis, & gratiæ paginam factū fuerit irremissibiliter
soluend. euitare voluerint. Harum testimonio literarū manu
nostra subscriptarum, & Sigilli nostri Cæsarei appensione
munitarum. Datum in Ciuitate nostra Vienna die duode-
cima mensis Maij anno Dñi millesimo quingentesimo octua-
gesimo secundo Regnorum nostrorum Romani septimo,
Hungarici decimo, & Bohemici itidem septimo. Signat.
RODVLPVS. Vilo, ac nomine Reuerendissimi Dñi
Vvolfgangi Archicancellarij Monguatini. V.lo. Bapt. Vvelar.
Ad mandatum Sac. Cæs. March. Blernburger. Et sigillat.
cum sigillo pendente cum cordula aurea.

1582

BARONATVS. ET ARMO:
RVM INSIGNIVM MELLIO-
RATIO PRO RODALPHO
DE SALLIS.

BARONATVS. ET ARMO:
RVM INSIGNIVM MELIO:
RATIO PRO RODVLPHO
DE SALIS. 1582.